

<sup>PL 17.
626 (647)</sup> Sermo XI, 5. Tunc et vota nostra celebrata sunt, quando Christo 853

Ecclesia copulata est, sicut ait Ioannes: *Qui habet sponsam, sponsus est.*¹ Propter has ergo nuptias saltare nos convenit; siquidem et David rex pariter et propheta cum multa cecinerit, ante arcum Testamenti saltasse dicatur;² elevatus enim gaudio in saltationem prorupit. Praevidebit enim in Spiritu per Mariam de germine suo Ecclesiam Christi thalamo sociandam, de quo ait: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*³

SULPICIUS SEVERUS (ca 360 † 420/423)

EPISTOLAE ⁴

^{PL 20, 228} Ep. II, III. Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et 854

quam digna Deo sit manifestius intelligi possit, illud cogitetur quod Dominus et salvator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem uterum elegerit, ut huiusmodi plurimum sibi placere monstraret, et ut pudicitiae bonum utriusque sexui intimaret. Virginem matrem habuit virgo mansurus. In se viris, et in matre feminis praebuit virginitatis exemplum. Quo demonstratur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis habere plenitudinem meruisse, dum tantum in matre fuit quidquid habebat in filio.

¹ Io. III, 29.

² II Reg. VI, 14.

³ Ps. XVIII, 6; CCL XXIII, 274; Sermo hic, secundum Mutzenbecher, est genuinus; cf. PLS III, 369. S. Maximus in hoc sermone iterat quod dixit in sermone CIV (cf. n. 847). Unica variatio est in verbo *Ecclesiam* quod inventur in hoc loco.

⁴ Ep. II, Pelagii fortasse est (PLS I, 792 et 1105).

● PL 57, 347, 442, 549.

■ PLS III, 371, 373.